

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Reuerendo uiro, D.Georgio Bucholtzero,fratri suo charissimo

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

nia hæc incommoda. addebat epilogum planè sanguine scriptum. Hodie primum, quod felix & faustum sit, exhibebuntur nostræ confessionis articuli. Nam hæctenus omne tempus consumptum est in procemijs conuentus, in propositione & commemoratione malorum publicorum. Romæ soluto Bononiensi conuentu, quædam mula peperit, & partus habuit pedes gruis. Vides significari exitum Romæ per schismata. Lamgravius probat nostram confessionem, & subscripsit. Multum proficies, ut spero, si tuis literis confirmabis eum. Brentius asidebat hæc scribenti, unâ lachrymans: is iubebat tibi adscribi salutem. Vale felicissimè. Postridie Ioannis baptiste.

Philippus Melancthon.

Reuerendo uiro, D. Georgio Bucholtzero, fratri suo charissimo,

S. D. Reuerende uir, & charissime frater. Vellem me posse prolixè scribere, ac potius coràm colloqui. Miserat Dux Prusie confessionis capita, de tota doctrina: sed scripsi ei, ne ederet suâ illam formam, quia fortassis paritura esset disputationes nouas. Sed ut contentus esset Brentiana declaratione hic edita. Id consilium tunc placuit Principi. Nunc audio ad uos missam esse confessionem illam: fortassis

taſis magis diſertè quædam poſita ſunt. Et decurritur ad *λογωμαχίαν*, de nomine Iuſticiæ. Alius facit reconciliationè, alius iuſticiam Deum ipſum in nobis agentem, nec dicit de perſonarum proprietatibus. De his tantis rebus libenter tecum, & cum alijs doctis uiris loquerer. Et ſi tempus cõcedetur, in reſpõſione noſtra aliquid de his quæſtionib. ſcribã. Sed nobis alia materia, & non à Principe miſſa eſt. Erit dies ſynodi ueſtræ, dies natalis illuſtriſſimi principis Electoris Marchionis: ac opto ut ſit ſelix deliberatio, ne pariat diſſenſiones inter ueſtros.

Audio Episcopos ad Mœnum & ad Rhenum, deliberare de Eccleſijs ſuis. Plura nunc ſcribere nõ potui, et propter temporis breuitatè, et propter manus dextræ dolores, quæ nuper in itinere ex lapſu grauiter quaffata eſt. Bene uale. Die 10 Ianuarij.

Philippus Melancthon.

Eidem,

S. D. Reuerende uir, & chariſſime frater. Scio in Polonia multos eſſe et nobiles uiros, et alios, qui legunt & amplectuntur incorruptam doctrinam Euangelij, & rectè inuocant Deum. Ac nuper apud me hoſtes fuit ſacerdos Polonicus, uir doctus & pius, qui aduenerat, ut de multis quæſtionibus mecum ſuas cogitationes conferret. Sed Episcoporum in Polonia ſeuitiam magnam eſſe, res oſtendit.